Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 867
Quelle:
Copyright:

XXXII. de dauide et golia fol. 168. tantum pars est illius, quae integra habetur *T. cit. col.* 158. *Om.* XXXIII. et XXXIV. rejectae sunt in *T. cit. append. coll.* 131. et 100. Eodem remissa etiam est *Om.* XXXVI. *col.* 528. et *Om.* XL. *col.* 523. Item *Om.* XLVI — IX. *coll.* 179. 102. 521. 155. Reliquae omnes una cum ea, quae numero L. insignita est, ut *Augustini* genuinae, T. V. *cit.* leguntur. Huic tamen adhaeret *Anonyma* quaedam *de S. Scripturae diligenti Lectione*, quae incipit: *Propicio christo fratres carissimi ita lectionem diuinam auido et sincero corde semper excipiatis* &c. quamque inter *Sermones ad Fratres in Eremo* ordine LVI. in *append.* T. VI. reperio. Post intervallum unius *pag.* sequitur *fol.* 192. alia manu Residuum supra dictorum XXXVII. *Sermonum.* Et *primus* quidem *de aduentu domini Augustino* inscriptus legitur in *Mauriana* edit. *Ambrosii* T. II. *append. col.* 392. incipitque: *Satis habundeque dixisse me credo. Secundus* pariter, uti et sequentes, *Augustino* tributus *de aduentu domini et contra iudeos*, cujus Initium est: *Uos inquam convenio, o iudei* &c. habetur inter rejectos in *append.* T. VIII. *col.* 15. estque fragmentum solum longioris Sermonis, qui ibi *de Symbolo contra Judaeos, Paganos et Arianos* inscribitur. Versus *Sibyllini* in eo citati depromti sunt ex *Aug.* L. XVIII. *de Civit. Dei c.* 23. legunturque cum eadem clausula: *Haec de Christi Natiuitate et Passione* &c. in *Petri Blesensis L. contra Perfidiam Judaeor. Bibl. PP. Lugd.* T. XXIV. p. 1209. *Tertius: de incarnatione domini. Legimus sanctum moysen* &c. rejectus est in *append.* T. V. *col.* 401. *Quartus: de Natiuitate domini subtilis et bonus. Filius dei, idemque filius hominis* &c. extat inter genuinos T. V. *col.* 900. *Quintus: de natiuitate domini. Oportet nos fratres karissimi gaudere* &c. non reperitur in *Aug.* apud alios quoque frustra quaesitus. Narrantur in eo ostenta illa, quae Servatoris natales praeire debuissent: oleum Romae manasse, Bovem et Agnum locutos &c. *Sextum* ejusd. Argumenti: *Dominus noster ihesus christus* &c. habes *T. cit. append. col.* 230. *Septimus: de epiphania domini. Gaudete in domino dilectissimi* &c. nec inter *Augustini*, nec inter *Ambrosii*, *Leonis*, *Eusebii* &c. Sermones invenitur. Idem dicendum de *Octavo* et *Nono*, quorum ille *de purificatione: Hodiernus dies magnum nobis contulit gaudium* &c. hic *de quadragesima et ieiunio: Moyses quadraginta diebus* &c. incipit. *Decimum de ieiunio et elemosina: Rogo uos et admoneo* &c. inter *Eusebianos Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 820. deprehendi; *Undecimum* vero, qui numerum XXXVII. *Sermonum* complet, *de sancto laurencio martire: Beatissimi laurencij martiris cuius natalem hodie* &c. in *append. T. V. Aug. col.* 341. quanquam etiam inter *Ambrosianos* olim receptus fuerit.

CCL.